

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0726

0724

0730

0720

0735

0715

0775

0675


0825

0625

0225

Ende

Anfang



153

ecclesia S. sepulchri, et per totam terram sanctam eadem hora pulsabatur. Sed haec omnia jam transierunt, ex quo dominicum sepulchrum in manus devenit infidelium. Omnia laudis divinae organa tenent silentium, et S. Sabbae monasterium est quasi in nihilum redactum. Quomodo autem tantum monasterium in desolationem venerit, ita nobis nunc monachi immanentes retulerunt. Terra sancta postquam ultimo tempore fuit amissa, defenderunt se monachi illi ab incursu Sarracenorum multis mensibus, et commiserunt bella dura cum infidelibus, eosque aliquoties fugaverunt. Tandem rex Soldanus personaliter cum exercitu de Jerusalem ad eos descendit et eos fieri Sarracenos postulavit, qui ei renuntiaverunt, ut ipse Christianus fieri dignaretur, et sibi servire parati essent, sed si hoc nollet, usque ad mortem se defendere vellent. Quo audito Soldanus contra eos exercitum movit et longo congesto bello monachos vicit, et monasterium irrupit, et monachos diversis tormentis ad coelum transmisit, ecclesiam autem ipsam non tetigit, sed omnes cellas destruxit et ascensus ad antra dejecit, illam (que) miserabilem desolationem induxit. Dereliquit tamen ibi quosdam monachos, qui sibi juramenta servitutis praestiterunt. Et ita stat usque hodie.

Recessus a Sancto Sabba.

Igitur cum solis fervor remissior fieri inciperet, acceptis sacculis nostris et asinis per periculosum saltum descendimus per scopulos in vallem, ducentes asinos ad manus. Ascensis autem bestiis descendimus in profundiora Gehennae per medium torrentis, conclusi ab utraque parte altissimis rupium parietibus, sub pedibus habentes viam asperrimam, saxosam, non usitatam. Cum taedio ergo processimus tarde per aliquas horas. Optabam autem in Gehenna descendere usque ad mare mortuum, ut vidissem illapsum torrentis Cedron in ipsum mare, sed aliter ductori nostro placuit, nam cum multum descendissemus in aliam vallem, latam, amoenam, et fertilem, si haberet cultores, quae vergit in longum ab austro in aquilonem, sicut vallis Gehennae vergit ab occidente ad orientem. Sunt enim hae duae valles sibi contrariae situ, conditione,